



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale, seu Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina**

**Torres, Alfonso de**

**Ingolstadii, 1604**

Cæsar Baronivs Soranvs, Congregationis Oratorii Presbyter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

# CÆSAR BARONIVS

SORANVS,

CONGREGATIONIS ORATORII

PRESBYTER.

**V**IR admodum insignis, dignus Dei Sa-  
cerdos, amicus sponsi, & cum sponso  
manens, atque ob id numquam ieiunus,  
iugis conuiuia sapientiæ, idemque amator spon-  
sæ, fecit ei (vt video) murenulas aureas, vermicu-  
latas argento: istud ipsum sponsæ collo plane con-  
gruum ornamentum refert opus ab ipso elucu-  
bratum. Per collum enim sponsæ Dei Sacerdo-  
tes, Euangelij Prædicatores, mystice significari,  
S. Gregorius Magnus in primis admonet: etenim  
cum sit caput Ecclesiæ Christus, qui medij sunt  
inter Christum & populum, Sacerdotes, per col-  
lum intelligi, certum est: per murenulas vero au-  
reas vermiculatas argento, quæ aureis argenteisq;  
virgulis simul iunctis, atque ordine flexuoso vna  
connexis, multiplicatis circulis, ex quibus monilia  
pendent, collum ambiunt, & que accipi posse idem  
quadrupartito schemate, summa industria elabo-  
ratum opus, omnes, qui illud ipsum attente con-  
siderant, puto consentient. Etenim velut quibus-  
dam aureis argenteisq; virgulis simul iunctis, &  
contextis, mira que varietate distinctis, diuinæ  
Scripturæ, Patrumque sententiis vna coniunctis,  
quadruplici distinctione partitum, toties repetito  
orbe, collum sponsæ circundans, monilibus ap-  
(:) 5 pensis

penſis exornat ex myſticis gemmis illis, quibus  
Moſy Dominus Sacerdotale pectus ornari man-  
dauit. Quod uero, qui ad decorem, idem ad forti-  
tudinem cultus colli ſponſæ paretur, ut, quod eſt  
ornamentum, ſit etiam munimentum, idem qui  
dixit: Collum tuum ſicut monilia, adiecit poſtea:  
Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata  
eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex  
ea, omnis armatura fortium. quamobrem quæ  
ſunt ab eo contextæ murenulæ, eaſdem quiſque  
iure dixerit eſſe Eccleſiæ propugnacula; & quod  
in eis ſunt gemmæ, tot eſſe clypeos ad munien-  
dum ſponſæ collum, ipſum Regale uidelicet Ec-  
cleſiæ Sanctæ Sacerdotium.

EPITE-